Acta

a RR. Patribus gravioribus Congregationis B. Jacobi Salomonij Ord. Pred. in Provincia Veneta S. Dominici ex mandato Rev. ad. P. F. Fabiani Marinoni, prefate Cong.nis Vicarij Generalis, ad Dietam congregatis in Collegio SSmi Rosarij Venet. hebdomade 2. post Octavam Pasche anno 1751.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Ordinationes

I. Notum est compertumque ex Constitutionibus, alijsque Capitulorum generalium edictis, Priorum, et Superiorum auctoritatem circa expensas intra certos limites coerceri; quos ne ullus Priorum, et Superiorum Cong.nis nostre quocumque pretextu audeat transilire, ordinatione hac de re prescriptam in Dieta anni 1711. revocamus ad memoriam, cujus hec verba sunt: Ordinamus omnibus, et singulis hujus nostre Cong.nis Superioribus, ne aliquas faciant expensas ultra sibi prefixas sine consilio Patrum: omnesque Eleemosynas pecuniarias, quas quocumque modo recipiunt, cito et incrementa Capse, Syndicatus, et Sacristie in Libro introitus transcribi faciant: nec ullo modo ea distrahant, nisi de eorumdem Patrum consilio, in Libro itidem exitus transcribenda.

II. Non semel experti sumus, litteras scribi a Religiosis, presertim juvenibus, aut nullius penitus momenti, aut minus, ut par esset castigatas, vel ea reticentes, que celari opus esset; vel sententijs infertas que in aliorum offensionem cedunt, nec non, in proprie scribentium conscientiae gravamen: propterea ordinamus, ut omnes Conventuum, et Vicariatuum Superiores litteras, que accipiuntur, queque mittuntur a Religiosis, legere valeant, ac legant; futilesque, minusque modestas, si quas invenerint omnino supprimant; ipsosque scribentes pro meritis puniant: admonentes, in Capitulo Inter. Veneto anni 1592. penam, preter alias arbitrarias, carceris per mensem latam in eos esse, qui conscriptas litteras Superiori suo prius legendas non presentaverint.

III. Bonitati, ac discipline succedit litterarum cultus, quem apud nos florere in diesque augeri vehementissime cupimus, cum inde Cong.nis nostre decor maximus proveniat, et ejusdem alumnis dignum eorum professione nomen comparari facile queat. Eorum igitur, qui addiscendis scientijs operam navant, ut absoluto demum curriculo, lectionibus, vel concionibus habendis, excipiendisque confessionibus applicentur, idoneitatem sufficientem probe nosse studeant deputati examinatores, ac promotores. Quod ut facile

obtineatur

obtineatur, ordinamus tum primo, ut quotannis juvenes in tyrocinio studiorum positi, in quolibet Monasterio ubi Lectiones habentur, eoque tempore, si fieri possit, quo Rev. ad. P. Vicarius Gnlis visitationem peragit, examen subeant, profectusque periculum faciant coram gravioribus Patribus: tum etiam, ut Lectores in litteris testimonialibus non solum de absoluto studiorum tempore, verumetiam imposterum de idoneitate, deque diligentia in studijs adhibita testimonium pro conscientia ferre teneantur.

Admonitiones.

I. Pro nostro officio regularem disciplinam custodire, et promovere cupientes, tota animi contentione admonemus, ut omnibus maxime cordi sit, sed Servitiam religiose implere silentij legem, tantopere a Patribus nostris commendatam, ex cujus cultu tot tantaque bona proveniunt: Aggravantes (ut ... utamur Capituli Gnlis Parisiensis anno 1611. celebrati) super hoc in ... Christi conscientiam presidentium, nisi sacri hujus silentij temerarios violatores quam severissime puniant.

II. Concionatorum nostre Congnis delectui, ac muneris Apostolici gravitati consulentes admonemus, convenientissima hac de re edita prescripta a Capitulis Gnlibus inviolabiliter imposterum teneri, et observari debere. Verba sunt Capituli Rome celebrati anno 1608. Nullus Fratrum possit ... curare sibi Locum ad concionandum Adventus, vel Quadragesime tempore, sub pena privationis officij concionandi per triennium: sed a Priore, vel Provinciali procurentur Loca, et ex eorum prudenti arbitrio Concionatoribus distribuantur. Verba quoq. sunt Capituli Parisini anni 1611. Si autem alicui Locus offeratur ad dictum Officium, petat licentiam acceptandi a suis Superioribus.

III. Memores professionis nostre, et optimi exempli, quod Sanctissimi Patres iter agendo prestiterunt; omnes, et singulos Congnis nostre Patres, Fratres admonitos volumus, ut que peragenda sunt, itinera conficiant cum omni humilitate, modestia, ac paupertate. Vie comitem semper habeant, nec ubi equitare liceat, nisi aliter magna urgente necessitate judicanti ...

IV. Admonemus denique, ad lites omnes removendas, que ob expensas in curatione infirmorum erogatas, et erogandas oriri solent, nihil convenientius negotij justitia, equitate, et convenientia mature perpensis, agnosci et inveniri eo medio potuisse, quod anno 1709. prescripsit, declaravitque Rmus P. Magister Gnlis totius Ordinis tunc existens, ac ejusdem anni dicta denunciavit. Verba sunt: Denunciamus, P. Rm Magistrum Gnlem

die 2. Februarij 1709. declarasse, Rev. P. Vicarium Gnlē Congnis pro tempore auctoritatem habere assignandi, seu deputandi Fratres sive infirmos, sive bene ualentes in Conventibus prefate Congnis quibuscumque, prout sibi in Domino uidebitur expedire: ac ipsos sic assignatos, uel deputatos a dicto P. Vicario, a Prioribus, uel Superioribus Conventuum recipi debere, et caritative tractari.

Comissiones.

I. Cum in Cenobio nostro Portus-Naonis pluribus abhinc annis liberalissimi Benefactoris munificentia incepto, Templi Deo sacri, grandioris quoque claustri, ac majoris partis Dormitorij apte quadrati, aliarumque officinarum ~~officinarum~~ jam absoluta constructio sit; adeoque non leuis nobis ingeratur confidentia fore, ut que necessario extruenda manent, quamcito perfici queant: committimus Rev. ad. P. Vicario Gnli proxime futuro, ut omni cura fabrice complementum promoveat, ac ejusdem Conventus formalem erectionem, facultatibus impetratis pro ut de jure, intra biennium exequatur.

II. Seria mentis attentione perpendentes, quam prudens, atque grave debeat esse Patrum a consilijs Conventus Coneglanensis judicium, quo Juvenes post annum tirocinij in Congnem nostram, ac Ordinem cooptantur; committimus eidem Rev. ad. P. Vicario Gnli, ut in eodem Conventu quamplures poterit moribus, prudentia, discretione preditos assignet Patres a consilijs, tanto rei momento expendendo pares.

III. Parum est, in Dietis nostris convenientissima ad regularem disciplinam custodiendam, promouendamque edita fuisse, ac edi prescripta, nisi eadem, ut fideliter impleantur, Fratribus nostris innotescant, ac sepe repetantur. Quamob-rem committimus ad. Rev. P. Vicario Gnli, ut ex dietis iam celebratis congruam prescriptorum collectionem decerpi faciat, ac jubeat bis in anno statutis temporibus, ut moris est, in communi refectorio legendam; Patres omnes, ac Fratres dicte Congnis, quantum possumus in Dno admonentes, ut ad eam normam, quam uno spiritu statuerunt graviores Patres in Dietis congregati, uitam, moresque componere omni studio curent, ac satagant.

Declarationes

Declaramus, P. F. Ambrosium Leonarduzzi pertinere ad Dietam juxta ordinationes in nostra Congne vigentes.

Itemque P. F. Petrum-Paulum Mezzanelli primo tempore substinendum esse.

Institutiones, et confirmationes.

Instituimus Lectorem tertium Theologiæ pro Collegio SSmi Rosarij Venetiarum P. F. Nicolaum Concina ad proximum festum S. Crucis.

Lectorem primarium in Studio Conventus Forojuliensis P. F. Bartholomeum Cavalieri.

Syndicum totius Congnis P. F. Benignum Piantoni.

Confirmamus Magistrum Novitiorum simplicium P. F. Casimirum Cavalerij.

Communis vestiariæ curatorem P. F. Bernardinum Ferro.

Dat. in Collegio nostro SSmi Rosarij Venet. die 14 Aprilis 1731.

Ita est Fr. Fabianus Mariani V. G.

Ita est Fr. Jo. Jacobus Poli Collij Rector

Ita est F. Andreas Bosello Prior Forojulij

Ita est Riccardus Zamberlanus Pr. S. Secundi Venetiarum.

Ita est Fr. Dominicus Mª Andricus Prior Clarentis.

Ita est Fr. Augustinus Vitaliani Prior Conegliarensis.

Ita est F. Seraphinus Droppini Prior Valuasonensis

Ita est F. Gervasius Tomasi Prior Terræ S. Danielis

Ita est Fr. Jo. Joseph Tabacco Prior Cordubensis

Ita est Fr. Paulus Bigonzina

Ita est Fr. Marcus Ant. Castrelli

Ita est Fr. Bernardus Mª Panighetti

Ita est F. Jo. Thomas Bianchi lector

Ita est Fr. Sergius Medico Vic. Lectorum Studij

Ita est fr. Albertus Mª Zarch

Ita est F. Angelus Laelsi

Ita est F. Augustinus Racci

Ita est F. Candidus Marinoni

Ita est Fr. Jo. Hieronymus Ferra Vic. Coenobij Cremonensis

Ita est Fr. Jacobus Zazi Pr. Collegij

Ita est F. Nicolaus Concina Lr. pr. in Conventu Forojuliensi.

Ita est F. Jo. Bernardus Mª de Rubeis a Secretis.